
DISSE^TRAT^IO MEDICA
INAUGURALIS
DE
A P O P L E X I A.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

A P O P L E X I A ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS BREMNER,

ORCADENSIS,

SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDIN.

SOC. ORD.

“ *Ac velut in somnis, oculos, ubi languida pressit*

“ *Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus*

“ *Velle videmur, et in mediis conatibus ægri*

“ *Succidimus; non lingua valet, non corpore nota*

“ *Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.”* VIRG.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1803.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3196753x>

ALEXANDRO ADAM, LL.D.

VIRO DOCTISSIMO,

LITERIS HUMANIORIBUS, ET MORUM PROBITATE,

ORNATISSIMO,

OB BENEFICIA PLURIMA NUNQUAM OBLIVISCENDA

IN EUM COLLATA;

HOCCE OPUSCULUM,

PEREXIGUUM OBSERVANTIÆ, GRATIQUE ANIMI,

TESTIMONIUM

D. D. CQUE

JACOBUS BREMNER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

HISTORIA MORBI.

QUANQUAM hic morbus nonnunquam subito adoritur; saepius tamen multa symptomata ejus accessum prægrediuntur. Hujusmodi torpor, tinnitus aurium, et vertigo, cum somnolentia, sunt inter prima quæ sese ostendunt. Cordis et arteriarum actio paululum augetur; sudores in fronte prorumpunt; et fir-

A

miter

DISSERTATIO MEDICA

miter pedibus stare nequit ægrotus, sed titubans, ad latus unum vel alterum vergit, quamvis hoc vitare diligenter conatur. Visus ac auditus obtunduntur, vel paulisper abolentur: oculis quasi muscarum volitantium, scintillarum, nebularumve, vel aliarum rerum simula-
cra, observantur: strabismus, quoque, et visus duplex, sæpè adsunt. Memoria nonnunquam insigniter imminuitur, atque dum nonnulla ut anteà retinet, aliorum prorsus obliviscitur: hoc, exemplis notatu dignissimis, comprobat celeb.

GREGORIUS *.

Hæc nonnunquam per aliquot menses vel etiam annos gradatim increscunt; sed citius seriùsve, malo appropinquante, symptomata ingravescunt.

In capite, dolores molestissimi sentiuntur. Incubus, somni turbulenti, et insomnia terrifica iterum

* Aud. Prælect. de Med. Pract.

iterum iterumque molestant. Saliva copiosior fluit, et sanguis ex naribus nonnunquam erumpit; nauseâ, et etiam vomitu, haud raro urgentibus.

Postquam symptomata supradicta per aliquod tempus plus minusve gravia persistenterint, æger subito prosternitur, et nonnunquam unum latu convulsionibus agitatur.

Nunc autem historia est admodum varia; interdum enim signa sunt eadem, ac illa quæ definitio complectitur*; alias autem numero et gradu, ferè infinitè variantur. In nonnullis enim exemplis, sensus interni penitus abolen-
tur, nec musculi solitos stimulus agnoscunt; in aliis, sensus ferè illæsi manent, et musculi, ac ribus admotis, solito more afficiuntur. Con-
vulsiones sœpè sunt universales ac validæ, in-
terdum

* “ Motus voluntarii ferè omnes imminuti, cum so-
“ pore, plus minus profundo, superstite motu cordis et
“ arteriarum.”—CULL. Nosol.

terdum verò leves. Respiratio plerumque est difficultis, abnormis, et cum stertore perficitur. Arteriarum pulsus, quanquam varii, plerumque tamen sunt validi, duri, et tardi: et carotidum pulsus usque ad distantiam insignem conspici possunt; cuius exemplum notabile a nostro MONRO visum fuit, et GREGORIUS idem observavit. Faciei color quoque variat; plerumque autem est purpureus, nonnunquam niger, raro naturalis; oculi sunt sæpè semi-aperti, ac quasi vitrei, cum pupilla dilatata; oris musculos corripit spasmus, et linguam paralysis. Fæces et urina sponte elabuntur, et spuma ex ore sæpè fluit; tandemque, morte instante, totum corpus gelido sudore madet.

Hujus morbi eventus, autem, non semper tam est infelix; interdum enim æger vomitu corripitur, et paroxysmus solvitur*, sæpè memoriæ, judicii, motuum, læsiones relinquens;

unde

* HOME, Prin. Med. p. 208.

DE APOPLEXIA.

5

unde soporosi, hebetes, tremuli, vertiginosi,
pusillanimes, remanere solent *.

DIA-

* BOERHAAVE, Aphor. 1018:



DIAGNOSIS.

NOSOLOGI coma, torporem, carum, cataphoram, et alios morbos soporosos, sub diversis generibus collocaverunt.

Ingeniosissimus autem CULLEN, solertiâ solitâ, hunc errorem emendavit, et rectè monet hos morbos, ex apoplexia gradu solummodo discrepantes, minimè ex ea secerni debere, et igitur ille, hos sub ordine Comatum, ad genera duo, Apoplexiam et Paralysin, redegit; et hi etiam in gradu solo discrepant, hac differentiâ solummodo intercedente, ut status soporosus ad constituendam paralysin non est necessarius.

Inter morbos qui apoplexiā referunt, Epilepsia, Syncope, Hysteria, et Ebrietas, præsertim enumerari debent. De his igitur pauca sigillatim.

Apoplexia ab Epilepsia distinguitur, quod in Apoplexia, si motus convulsivi adsint, unum latus solummodo corripiunt; dum in Epilepsia totum corpus convolutionibus plerumque agitatur. Aura epileptica, quoque, interdum ad diagnosin certiorem stabiendam confert.

Ab Syncope discernitur hic morbus, quia in eo extrema frigent; facies pallescit; sudor frigida erumpit; pulsus evanescit, ac respiratio suspenditur, saltem non sensus offendit. In apoplexia, verò, abolitis actionibus animalibus, nihilominus respiratio perstat; arteriæ pulsant; extrema calida ut plurimum deprehenduntur; et plerumque facies rubicunda conspicitur. Oculi in Syncope clausi, vel saltem languidi, manent;

manent; in apoplexia, contrà, fixi sunt et semi-aperti. Certius quoque de natura morbi qui subsit, ex temperamento, habitu, et forma corporis constabit.

Ab Hysteria, Apoplexia discriminatur, si animalium ad signa prænuncia advertimus; in illa enim multa occurunt, quæ in hoc absunt. Cujusmodi præcipua et certissima videntur esse, dolor capitis lancinans, cui nomen *clavus hystericus* dari solet. In ventri murmura ac varii sonitus audiuntur, et quoque sensus cujusdam globi, ad fauces ascendentis, ibique strangulantis, plerumque percipitur: mens quoque valde mutabilis est; nunc in risum, nunc in fletum, sine ulla causa evidente, prona. Ætas, quoque, nonnihil ad diagnosin certiorem reddendam conferre potest; hysteria enim plerumque juvenes, apoplexia autem ætate proiectas, aggreditur.

Ebrietas quoque nonnunquam Apoplexiā
mentitur; quod non solūm est medico dede-
cori, sed sāpē ægro incommodo, cui caput ton-
deri, et epispastica admoveri solet: hinc sem-
per necessarium erit interrogare an ebrietatis
causæ præcesserint, vel ægri anima liquores
inebriantes redoleat; et ita distinctione factâ,
medendi idonea ratio institui potest.

B

CAUSÆ



CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Ætas ingravescens.—Hæc imprimis corpus apoplexiæ opportunum reddit; et CULLENUS hujus rationem reddere aggressus est, indicando plethoram venosam subesse, quâ fit ut sanguis majore quantitate in capite colligatur. Ex experimentis autem quæ clarissimus MONRO instituit, an unquam talis adsit plethora dubium maximè est. Quoniam autem in senibus, vasa minuta concrescunt, eorumque nonnulla impervia fiunt, plenitudo ad spatium inducitur, et ita senectus ad hunc morbum proclivis fiat.

Caput

Caput magnum.—Ratio hujus satis patet, nempe quod in hujusmodi hominibus major sanguinis copia ad caput devehitur.

Collum breve.—Vis circuitus sanguinis, in partibus prope cor positis, major est quam in remotioribus; sic ad cerebrum in illis, quibus collum est brevius, sanguis majore vi impellitur, quam in his quibus collum longius est. Hinc illi morbo magis obnoxii; dum hi, eodem vitae genere utentes, incolumes plerumque evadunt. Porro, venae jugulares externae illorum, cervicis flexione magis in diametro imminuantur.

Obesitas.—Adipis in abdomine tanta copia nonnunquam congeritur, ut aortam descendenter comprimat, cursumque sanguinis deorsum tardat; et hinc impetus ejusdem sursum augetur. Huic quoque adjungimus motum dia phragmatis impeditum, qui saepè nimia ex adi-

pe

pe in abdomen congesto fieri videtur, et qui cursui sanguinis, per pulmonem obstans, quoque ejus redditum a capite, cor versus, difficiliorem reddit: quod parte cranii animalis viventis remotâ, satis demonstratur; omni enim expirazione, cerebrum tumescere videtur. Hinc patet, obesitatem, et omnia quæ sanguinis cursum per pulmonem impediunt, apoplexiæ favere.

Suppressio solitarum exinanitionum.—Hæc, compluribus exemplis, illustravit doctissimus MORGAGNI; unum quorum ipsius verbis infrascribere, haud à re alienum duxi *.

* “ Quidam rusticanus, annos supra sexaginta natos, a longo jam tempore ulcera in cruribus habebat sordida, quæ sanari vehementer cupiebat. Itaque etsi malo fermentat corporis habitu, nec nisi sexto quoque die, injectis quæ

quæ alvum subducerent, hanc exonerabat, tamen nimis officiosum chirurgum nactus, eò rem post tertium mensem perduxerat. Nondum cicatrix inducta erat, cùm repente queri cœpit, de summa capitis imbecillitate, et sanè arteriarum quoque pulsus exigui erant et languidissimi. Postridie mane pristina arteriis vis redierat, necque illibenter cibum sumpserat. Sed die tertio delirare primùm, mox tactū sensum toto corpore amittere; brachia tamen iussus adhuc præbebatur, ut arteriæ tangerentur. Postmodum in utroque brachio signa animadversa sunt, distensionis nervorum: demùm omni sentiendi, movendique, vi ornatibus, non sine stertore vivere desiit.”

Vid. MORG. de Morb. Capit. lib. I. p. 34.

CAUSÆ



CAUSÆ OCCASIONALES.

Exercitatio vehemens.—Hæc sanguinem ad caput majore vi propellit. Omnis enim muscularum contractio, ejus circuitum accelerat; quo fit, ut is in vasis minùs pressis congeratur, et igitur in vasis cerebri, quæ interdum rumpuntur, interdum nimium humorem tenuem effundunt.

Calor nimius,—sive ex balneo, ex rebus ingestis, vel præsertim ex concursu hominum, semper, apoplecticis, maximo periculo est; vasæ enim sanguifera multùm stimulat; adeò ut illa capitis, stimulum non sine disruptione sustineant.

Animi

Animi affectiones.—Harum, ira, lætitia, et subitus terror, imprimis, hunc morbum excitant.

Illæ multùm vasa sanguinem vehentia stimulant, et præcipuè in capite ; faciem enim rubore suffundunt, et epistaxin sæpè excitant.

Hic vasa extrema et minuta multùm constringit, ita ut alia auctam sanguinis copiam non sine incommodo sustineant.

Ligatura collo circumdata,—venas multò magis quàm arterias comprimat ; hinc in venis cerebri congestio sanguinis.

Situs capitis pronus.—Hic non solùm a capite, cursui sanguinis obstat, sed etiam id versus ejus impetum multùm auget. Prætereà, apoplexia sæpè est signum aliorum morborum, quorum CULLEN decem enumeravit ; nempè,

1. Febrem Intermittentem.
2. Febrem Continuum.
3. Phlegmasias.
4. Exanthematas.
5. Hysteriam.
6. Epilepsiam.
7. Podagram.
8. Vermes.
9. Ischuriam.
10. Scorbustum.

PRO-



PROGNOSIS.

EVENTUS hujus morbi plerumque infaustus est; nam quanquam interdum remediis ex toto vincitur, sæpiùs tamen citiùs seriùsve mortem aut hemiplegiam infert. Quò sæpiùs malum invasit, quò ætate proiectior est æger, quò caussæ prædisponentes et excitantes validiores fuerunt, quò pulsus ac respiratio magis afficiuntur, eò periculosior morbus erit; aut si quando ani sphincter resolvatur, et fæces insciè elabantur, et præsertim si sudores frigiduli erumpunt, cum oculis semi-apertis et vitreis; tum nulla spes superest.

Hisce autem contraria, minus periculi, et sationem faciliorem, indicant. Lenis apoplexia (secundum BOERHAAVE et VAN SWIETEN) interdum quibusdam exinanitionibus solvitur; nempè, “ sudore multo et æquabili, hæmorrhoidibus largis, menstruo restituto,” &c.; quamquam verisimile sit, eos qui sanabiles sunt, sæpè aut plerumque reviviscere sine ulla tali exinanitione; tamen fortassè pretium operæ sit notare talem exinanitionem nonnunquam esse faustum.

De eventu hujus morbi quoque dijudicamus, ab effectu remediorum. “ In paroxysmo apoplectico, si post sanguinis missionem levamen sequitur, salutis spes quædam affulget; sin vero post hoc, et alia remedia, affectus supra nycthemeri spatium, sine remissione persistit, aut in deterius vergit, de ægrotante conclamatum est *.

PRO-

* WILLIS, cap. viii. p. 140.



PROPHYLAXIS.

QUONIAM Apoplexia est morbus periculosissimus, et sanatu difficillimus, res summi momenti semper erit, providere ne homines in eam incident. Hoc consilio, non satis erit causas excitantes vitare, si non eodem tempore prædisponentibus quoque occurritur ; itaque, sanguinis detractio, exercitatio modica, ac frequens et parca diæta, ex vegetabilibus et lacte, præcipiendæ sunt.

A vino, et omni potu meraciore, abstinentium,

Ætate

Ætate autem admodum provectis oportet, sæpè, victum nonnihil pleniorum concedere, ne vires ipsorum nimis infirmentur.

Ab *nicotiana* abstinere necessarium erit, ut pote quæ caput versus, sanguis fluxui plus justo favet. Sed iis qui ea pro errhina vel sialagogo uti, diu assueverant, tutiùs esset non omnino desistere, sed temperatè uti, ut CULLENUS moneat. Semper quoque oportet cavere, ne sternutationem ciet, hæc enim est admodum stimulans ; et MORGAGNI exemplum dedit, de viro qui sternutans, subito mortuus fuit.

Somni excessus cautè vitari, debet ; ut enim auctor elegantissimus habet, “ Excessus quoque “ somni haud parùm nocet. Totum hominem, “ debilem, torpidum, hebetem, ferè fatuum “ reddit ; motum sanguinis languidum facit, et “ plerasque secretiones et excretiones minuit.

“ Hinc

“ Hinc plenitudo, obesitas, flacciditas, et ad
“ omnia vitæ munera, impotentia *.”

Exercitatio modica,—in hoc morbo arcendo, haud parùm sæpè valet ; sanguinem enim ex partibus interioribus ad superficiem avertit, et eodem tempore plethoræ occurrit. Vegetis et robustis, leniter ambulare licet, vel equitare ; sed ætate provectis vel multâ pinguedine gravibus, vectio in rheda, et alia quævis exercitatio aut gestatio lenis, magis conveniet.

Sanguinis missio.—Si signa anteà memorata, instantem apoplexiā indicant, nullum remedium ei magis efficaciter occurrit, quàm, arteriâ vel venâ incisâ, sanguinis abstractio libera. Si autem paroxysmus non instat, talis medendi ratio minimè convenit ; plethoræ enim et igitur morbo in posterum faveret.

In

* Vid. GREG. Conspect. De Somno, vol. I.

In plurimis exemplis cucurbitulis cruentis, vel hirudinibus, sanguinem ex temporibus elicere sat fuerit, unà cum remediis sequentibus.

Setacea et Fonticuli.—Hæc alicui cervicis, aut capitis parti, indita, plethoræ efficaciter occurunt; et igitur commodè adhiberi possunt, in hisce præsertim casibus ubi morbus ex obstru-
tis vel suppressis evacuationibus solitis immi-
net.

Cathartica,—in fortiora et mitiora dividun-
tur. Priora tantùm utenda sunt paroxysmo ur-
gente, cùm intestina torpida evadunt, et post
sanguinis detractionem. Sed leniora, et præ-
sertim sales neutri, in hoc morbo arcendo mul-
tùm valent; plenitudini enim obstant, et cor-
pus refrigerant.

Hisce

Hisce quoque adjungimus, vestitum laxum,
et corporis posituram erectam, quæ expeditio-
rem per venas, moderationem per arterias, san-
guinis cursum, inter cor et caput, reddit.

RATIO



RATIO MEDENDI.

Duo sunt medendi consilia: 1^o, Morbum præsentem tollere. 2^o, Reditui ejus in posterrum occurrere.

Primo Consilio,—summi momenti est, causas excitantes amovere; sed multùm lugendum est, medicos haud semper posse eas cognoscere, nedum cognitas tollere. Quis enim medicorum morbus ab tumoribus intra cranium necne oriantur, pro certo statuere potest? vel etiam si detecti fuerint, quibus medicamentis discuti possint? Quoties itaque ac hic morbus, ab tumoribus

ribus intra cranium originem agnoscit, nil valet
ars humana.

Ex omnibus autem causis quæ apoplexiā
concitant, et quas submoveare medici melius
sciant, nulla esse videtur tam frequens ac ea
quām suprà diximus: nempè, sanguis impetu
nimio cerebrum afficiens: igitur, quā ratione
hæc morbi causa optimè amoveatur, breviter
indicabo.

Missio sanguinis.—Auctores ferè omnes qui
de hoc morbo tractaverunt, sanguinis detractio-
nem suadent; nulla enim exinanitio, citius ef-
ficaciùsve, paroxysmo præsente, symptomata
mitigat; sed nulla in ejus administratione at-
tentionem majorem postulat. “Si omnia, e-
“ nim,” inquit CELSUS *, “membra vehementer
“ resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit,

D

“ vel

* CELS. de Medicin. lib. iii. chap. xxvii.

“vel liberat.” Sanguis ex diversis partibus abstrahitur; sed, si fieri potest, arteria temporalis, vel vena jugularis externa, cum majore forsan beneficio, quam brachialis, secari queat. Quantitas detrahenda, secundum symptomatum violentiam, ægri ætatem, et effectus qui inde profluunt, variari debet.

Nonnulli, quibus persuasum est, vitium cerebri, in latus ei quod paralysi corripitur, oppositum, semper incumbere, prohibent sanguinem ex latere corporis illæso detractum, magis valere. Hoc autem parùm forsan interest, et multò magis ex quantitate detracta pendet.

Si apparet sanguinis abstractionem, ex arteria, vel vena, periculum esse; et si nihilominus, cerebri vasa sanguine maximè opprimuntur; tum cucurbitulis cum ferro, aut scarificationibus, aut hirudinibus, sanguinem, ab aliqua capitis parte, detrahere necessarium erit.

Cathartica.

Cathartica.—Hæc post sanguinis missionem opportunè sæpè in auxilium veniunt; et præsertim clysmata, quæ sine ullo vomitūs ciendi periculo infundi possunt. Catharticis autem quæ alvum leniter solvunt, acriora sæpè præstant. Hunc in finem sub-murias hydrargyri seu calomelas, jalapa, et alia similia, commodè dantur.

Vesicatoria.—Ad ea, postquam diathesis phlogistica aliis modis imminuta fuit, optimè decurritur, et alicui cervicis aut capitis parti applicari debent; et, nisi mitescunt signa, sæpiùs iteranda sunt.

Quod ad secundum consilium attinet, quoniam eadem ei ac prophylaxi convenient, nil de eo superest dicendum.

F I N I S.

